

OVATIONES

BARBARA WISMER MCMANUS

In primo libro suorum carminum, Quintus Horatius Flaccus, amico carissimo Vergilio vela daturus, scripsit, “*serve animae dimidium meae*.” Ita nunc haec eruditissima, studiosa operum Vergilii ex hac universitate navem solvit. Nos igitur eam foveamus ut “*animae dimidium nostrae*.” Titus Livius Patavinus narravit Lucium Iunium Brutum, cum nomen eius “*obtusum*” et “*sine sententia*” significaret, tamen regem Tarquinius Superbum Roma expulisse et pro sua patria multa confecisse. Haec femina item, quamquam suum nomen significat “*rude*” et “*rusticum*”, cum urbanitate humanitateque multa confecit pro disciplina linguae Latinae et studiorum classicorum.

In urbe chalybis inter silvas nata, in hoc Collegio Novae Rupillae docta doctorque, honorata altissimo Philosophiae gradu apud illam sedem eruditionis celebratam propter veritatem, se suamque vitam ad linguas antiquas docendas, discendas, diffundendas dedicavit. Ab suis discipulis carissime diligitur; quoque diligenter servit collegas suas et suos, praeterea sodales in hac societate, in iugo classico Feminarum, et in Societate Philologica Novi Mundi. Effecit ut nostras cogitationes ad feminas et earum res gestas in litteris Romanis adverteremus, ac uteremur saepius ac melius artificio novissimarum machinarum—“*inter-rete*” aut “*Latimundana Tela*.” Non solum illuminavit Romanos antiquos et linguam eorum, sed etiam feminas viventes in posteriore aetate, apud bubulam edentes et Civitatem Imperii. Insuper nostris temporibus aequitatem iustitiamque pro feminis, et pro omnibus, petivit obtinuitque. Quam ob rem, propter eius sapientiam, fortitudinem (saepe in rebus adversioribus), et labores, huic insigni feminae, non barbarae sed doctissimae, gratias agimus. Plaudamus igitur Barbara Wismer McManus.

*University of Maryland, College Park
CW 94.4 (2001)*

ROBERT BOYD
LUIGI MARIA DELUCA
VANESSA JOHNSON
JUDITH P. HALLETT

PHILIP SCHWARTZ

Ut Ovidius noster scripsit, in novas ferunt animi nobis mutatum formas—discipulum, militem, magistrum nostrae linguae, deinde linguae Romanorum antiquorum. Di huic ovationi adspirare et eam deducite ab regione qua grex Eludentium adreptus est ad optime emptam insulam. Apud universitatem, sitam ubi pila circula trochique regunt, studens linguae Britannicae et rebus sacris non modo gradum Baccalaurei Artium adeptus est, sed etiam, parens consilio sapientis parentis, intellexit se natum esse causa docendi. Ab discipulo se mutavit ad militem et, investigans facta facinorae, similis Aiaci erat, propugnationi cohorti. Militat omnis discipulus. Litteratus expugnans aciem eruditionis altioris apud universitatem urbis quae numquam dormit, gradum Magistri Artium adeptus est. Mox, pelago arato ad Britanniam ipsam, artes litterarum linguaeque apud universitatem turrium somniantium perdidit. Ad patriam suam rediens, inter Amicos apud Academiam Amicorum et Seminarium Amicorum trans pontem docuit. Litteras Graecas linguamque Latinam didicit in calore aestatis apud suam almam matrem, et fiebat custos linguarum mortuarum

in Seminario suo. Sed animavit has linguas, homo mentis sanissimae in corpore sanissimo, dilectissimus et humanissimus. Virum formarum multarum plaudamus igitur Philip Schwartz.

University of Maryland, College Park
CW 94.4 (2001)

ANN SNEESBY-KOCH
RYAN MOORE
JUDITH P. HALLETT

GAIL ANN RICKERT

Hodie honoramus feminam eruditissimam in doctis disciplinis philosophiae philologiae classicae, caram collegam quae multos annos nostrae societati tempus laboremque curamque dedit. Magna cum voluntate voluptateque firmavit conventus nostros deligendis et eliciendis disputationibus diversis et dignis.

Filia huius urbis, ubi partes boariae—et caro et caseus—praeclare consociant sub tegmine panis, incipit amare linguam Latinam, et penitus sentire “lacrimas rerum”^{*} significatas in maximis operibus litterarum Latinarum apud Academiam Sanctae Mariae Goretti, sub tutela Sororis Sanctae Mariae Sororisque Carolae Alaudae. Semel et iterum est adepta gradum Baccalaureae Artium: primum apud collegium situm in hac silvestri civitate clara propter saltationem Poloniae, tunc apud universitatem Oxoniensem, in insula clara propter dominationem orbis terrarum. Fiebat Doctor Philosophiae apud universitatem partientem nomen cum quibusdam betis. Deinde docebat apud universitatem in civitate intra Magnos Lacus et suam almam matrem. Nunc administrat in collegio prope verum campum Martium, ubi noster praeses venerabilis ob servos liberandos brevem sed immortalem orationem habuit. Omnia quae facit optime fecit. Plaudamus igitur GailAnn Rickert.

University of Maryland, College Park
University of Pennsylvania
CW 94.4 (2001)

JUDITH P. HALLETT
RALPH ROSEN

* Vergil, *Aeneid* 1.462: *sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.*